



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De profunda prædestinatione, & præscientia Dei. 28

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

confiteor, laudans te : quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti; dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cœli ambitu continetur; & quasi parva reputas hæc quæ sub cœlo sunt, nisi dares etiam ea, quæ sunt super cœlos. Laudent te, Domine, de hoc omnes Angeli tui; confiteantur tibi de hoc omnia opera tua; & ipsi sancti tui tibi benedicant. O honorificentia nostra, nos nimis honorificans, ditans, multis muneribus decorasti! admirabile est enim nomen tuum, Domine, in universa terra. Quid est enim homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Dixisti enim, veritas antiqua: Delitiæ meæ sunt cum filiis hominum. Nonne homo putredo, & filius hominis vermis? Nonne universa vanitas omnis homo vivens? Et dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium.

## C A P V T XXVIII.

*De profunda predestinatione, & præscientia Dei.*

1. **D**Oce me abyssus profundissima, creatrix sapientia, quæ libraisti in pondere tribus digitis appendisti. Suspende molem corporalitatis huius quam gero, tribus invisis digitis tuis ad te, ut videam & cognoscam quam admirabilis es in universa terra. Lux antiquissima, quæ lucebas ante omnem lucem.

lucem, in montibus sanctis æternitatis anti-  
quæ; cui nuda & aperta erant omnia ante-  
quam fierent: Lux quæ odio habes omnem  
maculam, utpote mundissima & immacula-  
tissima, quæ tibi delicia cum homine? quæ  
conventio lucis ad tenebras? Vbi enim sunt  
in homine delicia tuæ? Vbi praparasti tibi  
in me dignum sanctuarium majestatis tuæ,  
ad quod introiens habeas delicias delecta-  
tionis tuæ? Mundum enim canaculum decet  
te mundans virtus, quæ non nisi à mundis  
cordibus videri potes, multo magis nec ha-  
beri.

2. In homine autem ubi est templum tam  
mundum, ut te suscipiat, qui regis mundum?  
Quis potest facere mundum de immundo  
conceptum semine? Nonne tu qui solus es  
mundus? Ab immundo enim quis munda-  
bitur? Nam & secundum legem, quam de-  
disti patribus nostris in igne comburenti  
montem, & in nube tegente aquam tenebro-  
sam? quicquid tetigerit immundus, im-  
mundum erit. Omnes autem nos quasi pan-  
nus menstruata, de massa corrupta & im-  
munda venientes, maculam immunditiæ  
nostræ, quam celare, præsertim tibi, quæ  
omnia vides, non possumus, in frontibus  
portamus. Quare mundi esse non possumus;  
nisi tu mundaveris, qui solus es mundus.  
Mundas autem de nobis, filiis hominum,  
eos in quibus tibi complacuit habitare;  
quos ab inaccessibilibus profundis secretis  
judiciorum incomprehensibilium sapien-  
tiæ tuæ semper justorum, licet occulto-  
rum,

rum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum; vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ.

3. Et ego Domine hoc considerans expavescō, & obstupescō de altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ tuæ; ad quam ego non pertingo: & incomprehensibilia iudicia justitiæ tuæ, quoniam ex eodem luto, alia quidem facis vasa in honorem, alia vero in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerumque tu nosti: qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina donas: qui etiam scripti sunt in libro vitæ: qui nequaquam perire possunt; quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cum enim cadunt, non colliduntur quia tu supponis manum tuam: custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conturatur.

4. Attamen mors peccatorum pessima; illorum, inquam, quos antequam faceres cœlum & terram, secundum abyssum multam iudiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam; quorum dinumeratio nominum & meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi: quos reliquisti in immunditiis suis; quibus omnia cooperantur in

in

in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum; ut si etiam usque ad cælos ascenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sydera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinum in fine perdentur.

## CAPVT XXIX.

*De illis, qui prius sunt justis, & postea impii efficiuntur, & è converso.*

1. **M**agna sunt hæc iudicia tua, Domine Deus, iudex iuste & fortis; qui iudicas æquitatem, & inscrutabilia facis & profunda: quæ cum confidero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non securatur homo vivens super terram, ut serviamus tibi pie & caste cunctis diebus vitæ nostræ, in timore, & exulemus tibi cum tremore: ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore; & non gloriatur accinctus æque, ut discinctus; neque gloriatur ante te omnis caro, sed pavefcatur & contremiscatur à facie tua: cum ignoret homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed in futurum omnia reservantur incerta.

2. Vidimus enim multos, Domine, & audivimus à patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyffos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus, stellas de cœlo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos, qui jacebant in pulvere

vere